


05

A

318





2

DISPUTATIO METAPHYSICA
De
PROPRIORUM
COMMUNICATIONE,

Quam
In Alma Leucorea
PRÆSIDE

Præclarissimo nec non Doctissimo
DN. M. MICHAELE BOCCIO,
Erffurteni, Serenis. Electo-
ris Saxon. Alumno,

Præceptore ac Fautore suo plurimum colendo,
Publico Eruditorum examini proposuit

Gottlieb Fischer / Pirnensis Misni-
cus. Philosoph. & SS. Theol. Studiosus.

In Auditorio Minori

Ad Diem XI. August. Hor. Antemerid. ANNO M DC LXXVII.



WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS SIGISMUNDI Ziegenbeins.



A & Ω.

CAP. I.

Terminorum enodationem sistens

§. I.



Um de Propriorum communicatione agere constituimus, explicandum prius est, tum, quid *proprium* dicatur, tum, quid præseferat *Communicatio*.

§. II.

Proprium aliàs *Proprietatem* vel conjunctim *adjunctum proprium*, Philosophi appellare solent. Græci id vocant ἰδιον, & ἰδιότης & ἰδιώματα.

§. III.

Sumitur v. vocabulum *Proprij* duobus modis, vel quatenus opponitur *Improprio*, vel quatenus opponitur

communi; illò modo dicitur, quod verè tale est, sic *Petrus* est propriè homo, ejus v. effigies dicitur homo impropriè: hòc modò est illud, quod non est commune multis, sic v. gr. facultas ridendi dicitur propria homini, quia ipsi non est communis cum aliis animalibus.

§. IV.

Proprium, prout oppositum communi, sumitur quatuor modis; 1. quod inest *μόνω*, sed non *τῷ παντί*, v. gr. philosophum esse respectu hominis. 2. quod inest *τῷ παντί*, sed non *τῷ μόνω*, v. gr. bipedem esse, respectu hominis. 3. quod inest *τῷ παντί καὶ τῷ μόνω* sed non *ἀεί*, sic proprium hominis est canescere. 4. quod inest *τῷ παντί, καὶ τῷ μόνω, καὶ ἀεί*, ut risibilem esse, respectu hominis.

§. V.

Sed prioribus tribus modis proprium non sumitur strictè, quia complectitur etiam accidentia, sicut v. gr. doctum esse, est proprium primi modi, absolutè a. loquendo est Accidens. Strictè igitur loquendo tantùm proprium quarti modi verè est proprium, ut adeò æquivocè saltem ad reliquos per divisionem vocis extendatur.

§. VI.

Notat itaque hoc stricto significato Philosophis nil aliud, quam *τὸ ἐπυσιώδες*, hoc est ejusmodi prædicatum, quod essentiam subjecto, cujus proprium est, minimè largitur, imò *accidens est, essentiam constitutam necessariò consequens*; Theologis a. non saltem *τὸ ἐπυσιώδες*, sed & *τὸ ἰσιώδες*, imò quod est *ὑποστατικόν* Proprii nomine venit, advertente Viro Excellentissimo *Dn. Walthero,*

thero, Præceptore nostro æternum venerando, Controver-
fis Metaphys. cap. 19. controv. 1. Puncto 2. §. 1. Sic Propria
vocant divinæ naturæ, omniscientiam, omnipræsentiam,
omnipotentiam, quæ tamen non aliquid ἐπὶ ἑαυτῶδες, & ac-
cidens sunt, sed ipsa essentia divina.

§. VII.

Hinc apparet, quomodo proprium aliud sit ἀπλῶς tale,
& aliud κατὰ τὴν. Illud quidam ἀναγκάσιον vocant, &
est, quod per se uni, & soli subjecto convenit, ut potentia ri-
dendi, flendi in homine, Proprium tamen respectivè & in
συνκρίσει ad aliud, quod tali accedente caret. Sic v. gr.
Proprium hominis est, *bipedem esse*, sc. in respectu qua-
drupedum. Conferatur iterum Amplissimus Dominus
Waltherus Controvers. 1. De Communic. Propriorum ἐκθέ-
σεως Dist. 4.

§. VIII.

Porro observamus, quod alia Propria sint ἀντίστροφα
ἀνευ συμπλοκῆς, id est simplicia; alia v. sunt συμπε-
πλεγμένα s. conjuncta quæ consequenter recipiuntur ad
subjectum suum, conjunctim sumpta. Sic proprium nu-
meri est: Paritas & Imparitas. Confer. Scheiblerus lib.
1. Cap. 23. Punct. 2. num. 43. Et tantum de voce Pro-
prii. Sequitur, ut evolvamus vocabulum Communi-
cationis.

§. IX.

Notat Communicationis terminus vi sui etymi habi-
tudinem participandi s. activè s. passivè. Ideò enim ali-
quid communicabile dicitur, quod participet vel partici-

A 3

petur.

petur. Participare verò idem est, quod participem red-
dere seu fieri. Ubi Simul elucescit, communicabile. h. l.
non ratione vocis, quam rei ipsius voce denotata, spectari.
Aliàs enim communicabilia vocantur & sunt omnia ho-
monyma, quatenus unum nomen pluribus rebus diversa-
rum naturarum attribuitur, quale communicabile ratione
vocis est, Canis, quatenus multis rebus & animali latranti,
& sideri, & cani marino, communicatur.

§. X.

In communicatione proinde reali, tria semper atten-
denda sunt 1. res quæ communicatur, sic e. g. anima,
humana, quæ communicatur corpori. 2. subjectum, quod
est corpus, cui communicatur. 3. unio naturalis, quæ est
vinculum & fundamentum, cur anima corpori communi-
cetur, tum qua essentiam, tum qua propria. Hinc anima
participabile quid est, quatenus particeps reddit corpus
vitæ, sensus, motus. Corpus enim est, quod particeps
redditur. Unio v. naturalis, est fundamentum, propter
quod corpus motum, sensum, habet.

§. XI.

Definitio itaque communicabilis integra ac accurati-
or illa esse potest, quam nobis suppeditat. *Vir incom-*
parabilis Dn. Waltherus. Prac. III. cap. 16.
Met. quæ eam definit, quod sit nil aliud, quam par-
ticipatio plurium realiter distinctorum, ac in quodam
supposito unitorum de uno aliquo communicabili ad
communem possessionem, usurpationem & denomina-
tionem.

§. XII.

§. XII.

Ex qua Communicationis descriptione animadvertimus, illam saltem improprie κοινωνίαν esse, quæ pro fundamento unionem non habet, sed vel usum, vel naturalem influxum, vel debitum officium respicit, vel conceptum aut respectum, aut tropum, aut nudam æquivocationem supponit.

§. XIII.

Sic Communicatio quæ vocatur κατά χρῆσιν est impropria communicatio, qua alteri aliquid communicatur quoad usum, e. g. cum communico alteri librum, ad lectionem & usum est communicatio quoad usum; sic cum communicatur alteri pecunia ad usum vel lucrum, & mutuò datur, est communicatio quoad χρῆσιν & impropria. Eadem ratio est cum altera, quæ vocatur Κατ' αἰλοποίησησιν s. secundum productionem, quæ est, qua in eo, cui communicatur producitur simile aliquod; ita per generationem à Parentibus anima Filio communicatur per αἰλοποίησησιν, producunt enim Parentes in Filiis aliam suæ similem.

§. XIV.

Impropria quoque communicatio illa est, quæ dicitur κατά χέσιν, qua propter relationem honor vel titulus aliquid alteri enmmunicatur, quò pacto Princeps dicitur, Conjux Principis, Electorissa, Conjux Electoris, Doctorissa, Conjux Doctoris. Sic quoque illa, quam vocant Κατὰ μετέκβασιν, quâ communicatum, derelicto communicante transit in illud, cui communicatur, hęc pacto vox Doctoris de cathedra exit ex ore ejus, & communi-
catur

catur audientibus. Κατὰ μίξιν quoque ejusdem est dignitatis, qua proprium generis prædicatur de specie, vel speciei, de individuo.

§. XV.

Nec minore jure ad impropriam Κοινωνίαν refertur tum illa, quam vocant κατὰ συνεκδοχήν seu tropicam, quâ proprium partis toti communicatur & de toto prædicatur, qualis est, cum Æthiops albus esse dicitur, qui quoad dentes est albus; Tum quoque illa κατὰ λέξιν, vel secundum dici, quâ solum nomen, non autem res ipsa alteri communicatur, ut nomen Tauri communicatur, monti & sideri; non enim res ipsa tunc communicatur. Tum illa, quæ quidem unionem pro fundamento habet, sed est entis per Accidens quâ scil. ex unitate non resultat una essentia aut persona sed plures essentia combinatæ intrinsecus se afficiunt & propria sua communicant, qualis est, cum ignis communicat ferro ignito calorem suum. Quæ quidem vera & realissima unio est, sed tamen impropria vocatur, quod propriè & directè non pertineat ad Metaphysicam, quia est communicatio per Accidens; nobis verò sermo est, de attributo Entis per se. Quæ tamen prorsus excludi non potest. Confer, Nobilissimi Waltheri discursum in Metaph. Cap. 16. Præc. 3. §. 1. Ad quam quoque referenda est communicatio ἐν ὑποκειμένῳ seu subjectiva, quâ duo vel plura accidentia in uno subjecto copulata sibi invicem communia sunt. Talis est communicatio dulcedinis & flavedinis in melle, flavedo enim dulcedini, dulcedo flavedini se communicant in uno subjecto, melle scil. confer. B. Meisnerus Phil. Sobr. p. 72. Quæst. Log. Ejusdem fermenti & illa est, quam dicunt κατὰ σύγχυσιν, vel μίξιν qua duo vel plura invicem miscentur & confunduntur, adeoque & propria eorum invicem communicantur, & quod alteri ex mixtis
πρω-

πρώτος competit, toti seu tertio, quod ex mixtione illa
emergit, per & propter communicationem tribuitur, ita,
e. g. in face talis datur communicatio, fax enim ex com-
mixture picis, ceræ & cannabis construitur, ita tamen ut
πρώτος tribuatur alteri horum, quod ex mixtione resultat.
Flamma in cannabe sustentatur præcipuè, à pice verò alitur
& conservatur.

§. XVI.

Clarum insuper ex præposita definitione, rejectisque
impropriæ communicationis speciebus, requiri ad omnem
veram communicationem (1.) *ut ad sine plura subjecta par-*
ticipantia. Nam ubi aliquid verè communicatur, ibi ad-
esse debet, tum quod communicat, tum quod communica-
tum à communicante recipit. Sic anima humana sibi ipsi
nil communicat, nec corpus id facit, anima verò & corpus
inter se communicationem habent, sunt itaque duo inter
quæ datur communicatio. Sed tamen non sufficit plura-
litas, prætereà *secundò* requiritur, ut illa plura inter se *re-*
aliter distinguantur. Sic sanè distincta sunt anima & cor-
pus, & si anima à corpore non realiter differret, non esset
quoque propriè communicatio. Ubi tamen obiter obser-
vanda est distinctio inter Subjecta *ἀσυνδύατα* & *συνδύατα*
μέ-
να, non illa, sed hæc ad communicationem apta pro-
nunciamus.

§. XVII.

Propterea tertio requiritur ad veram communicatio-
nem, ut illa subjecta realiter distincta verè etiam uniantur,
quia etsi realiter distinguantur, non tamen reipsa divisa es-
se possunt, alias non possent habere communicationem
propriè dictam. Nam unio est fundamentum communi-

B

catio-

cationis, & non est confusiva sed συνδιαστικὴ combinatoria
 intrinsecè citra confusionem rerum unitarum. Sic uniun-
 tur anima & corpus in homine ad unum hominem & per-
 sonam constituendam. Ultimum requisitum Communica-
 tionis est, *Participabilis Communicabilitas*. Utrumque n.
 aliquam aptitudinem in se habere debet, alterum, ut possit
 communicare, alterum, ut id, quod communicatur, possit
 recipere. Talia communicabilia ferè sunt. *Essentia, Per-
 sona, attributa, opera*. Essentia est quid participabile, sicut
anima essentiam ipsam habet, & illam corpori communicat.
 Persona quoq; ita *Filius DEI tanquam Persona, communi-
 cat humanam naturam & personalitatem*. Sic propria communican-
 tur. *Anima communicat corpori vitam, sensum & motum.*
 Operationes quoq; communicari possunt, ut *auditio, visio*
 in homine, quas operationes corpus quoque parti-
 cipat & comunicatas habet ab anima. Corpus v. huma-
 num est instar *potentiæ* perficiendæ, perficitur n. per com-
 municatum motum, sensum, vitam; anima v. est instar *actus*,
 anima n. illa omnia corpori largitur.

§. XVIII.

Ex quibus hæcenus perspicuè dictis sufficienter patet,
 omnem quoq; veram communicationem ad *communem* fieri
possessionem, quid v. hæc sit, & quomodo propriæ opponatur,
 videri potest in *exegeſi præc. 3. §. 2. Metaph: Excellentissimi*
Waltheri. Sic anima possidet *vitam, motum, sensum* Corpus
 quoq; possidet eadem. Hic ergo communis datur possessio,
 qua utrumq; eorum, tertium illud commune habet. quan-
 quàm modus habendi sit diversus. Nam anima habet, à se
 ipsa vitam, sensum & motum, estq; *πρῶτον δευτικόν*, con-
 tra corpus non per se ipsum & ex se ipso habet, sed propter
 animam, quam possidet, igitur *δευτεροδευτικόν* appellatur.
 Deinde fit quoq; ad *communem usurpationem*. Quæ tamen
 non promiscuè in omnibus datur, & in quibus reperitur non
 æqua.

æqualiter invenitur. Respicit scil. propria per naturam sub-
jecti receptibilia, operativa, & ad finem unionis facientia.
Nam in omni communicatione reali ac propriè dicta omnia
attributa quidem ad possessionem communicantur, non ta-
men omnia ad usurpationem, e. gr. anima humana non com-
municat corpori *spiritualitatem aut inextensionem l. illocali-
tatem* ad usurpationem. Et ratio est, quia illa propria non
sunt receptibilia per naturam corporis, ut potè quod per na-
turam suam est materiatum & quanquàm corpus possideat
animam *spiritualem illocalem*, non tamen corpus *spiri-
tuale* fit vel *illocale* redditur, aut tale denominatur. Ita hu-
mane Christi nature non est communicata generatio ab æterno,
quanquàm n. illa possideat λόγον ab æterno genitum, non
tamen à generatione æterna denominatur. Sic quoque ani-
ma non communicat corpori *immobilitatem*, perennitatem,
simplicitatem. Nam hæc propria animæ sunt quiescentia
l. ἀνεργητα, hic v. loquimur de ἐνεργητικῶς per quæ sub-
jectum potest operari. Talia igitur ad usurpationem anima
corpori non communicat, atq; hinc est, quod in unione ac-
cidentaliter ignis ferro non communicat suam levitatem & vari-
tatem, sunt n. illa propria ferri quiescentia, communicare
tamen ferro potest caliditatem, quia est proprium ἐνεργητι-
κῶν, per quod ignis est actuosus. Nec illa propria ipsi com-
municat, quæ ad finem unionis nil faciunt, uti est *invisibili-
tas & incorruptibilitas*. Ultimò quoque advertimus omnem
communicationem ad communem fieri *denominationem*.
Ita corpori communicatur ad denominationem *vita*, dicitur
n. *vivum*; & *sensus*; dicitur n. *sensitivum*; *motus*, dicitur n.
mobile. Sic humane Christi nature communicatur ad denomina-
tionem *omnipotentia*, *omnipresens*, dicitur n. *omnipotens*,
omnipresens. Contra non communicat anima corpo-
ri ad denominationem, *immortalitatem*, non n. corpus
denominatur *immortale*, & ratio est, quia immortalitas
corpori non est communicata ad *usurpationem*, ergò nec ad
denominationem; denominatio n. sequitur usurpationem.

Ultimò observamus: Communicationem esse vel Naturalem vel personalem. Illa est, quâ plures essentia incomplete ad unam essentiam completam constituendam concurrentes, sibi invicem communicantur, quæ & inter partes essentielles reperitur; Ita cum forma se communicat materiæ, anima corpori, Personalis v. est, qua per unionem personalem hypostasos & idiomatica unius nature completa ad communem possessionem & usurpationem alteri nature incomplete communicantur, qualis datur & reperitur in Christo.

Cap. II.

Quæstionem exhibens:

An Propria unius subjecti possint communicari alteri diverso?

§. I.

Negativam defendunt Calviniani ad unum omnes & pro ea Timplerus lib. 3. Met. c. 3. quest: 13. sequentia producit argumenta: 1. si omnis proprietas essentialis à DEO & naturâ determinata est ad certum subjectum, cui soli & semper inest, sequitur, quod proprietas non possit communicari. Prius est, E. & posterius. Consequentia patet, quia si proprietas ad unum subjectum restrictum est, ipsi soli competit, & consequenter alteri non poterit communicari.

§. II.

Secundò objicit: Si subjectum proprietatis non potest communicari alteri sequitur, quod proprietas subjecti communicari nequeat. Antecedens est verum, E. & consequens. Consequentia probatur, quia Proprietas est in suo subjecto, quod, si non
compe-

competit alteri per communicationem, neque proprietas, quae est in subiecto, alteri competit.

§. III.

Tertiò objic. Si essentia rei communicari nequit, sequitur quod proprietas non possit communicari. Antecedens est verum, E. & consequens. Consequentia probatur, quia proprietas cum essentia coheret nexu indissolubili.

§. IV.

Keckermannus argumentatur, Quae differunt ita, ut unum non communicet alteri essentiam, earum unum non communicat alteri proprietates. Atqui subiecta realiter distincta ita differunt ut unum non communicet alteri essentiam, E. unum eorum alteri non communicat proprietatem.

§. V.

Porrò objicit idem: Si proprium opponitur communicabili, sequitur, quod non sit communicabile. Antecedens est verum, E. & consequens.

§. VI.

Sententia de communicatione Proprii tollit discrimen inter proprium & accidens, E. admitti non potest. Antecedens prob: quia differunt proprium & accidens, dens h. m. quod Proprium alicui soli competat, Accidens a multis commune sit. Jam si proprium aliis quoque potest communicari, & ipsum aliis quoque erit commune aequè ac accidens, & sic sublatum erit discrimen inter proprium & accidens.

§. VII.

Objic. Propria sunt causa distinctionum, E. communicari non possunt. Consequentia prob: quia si propria communicarentur alteri, communia erunt multis subiectis, & sic per illa subiecta à se invicem non poterunt distingui.

§. VIII.

Verùm rectiùs contra Calvinianos statuunt Nostrates, quod proprium communicari possit alteri, ita ut alteri subiecto etiam suo modo insit & competat. Ut a. hæc affirmativa

B 3

tiva

tiva rectius intelligatur, sciendum est, proprium posse alicui tribui & competere duobus modis (1.) *immediatè & tanquam subjecto primo ex cuius essentia scil. fluit.* (2.) *mediatè, s. per aliquod interveniens medium,* e. gr. sensus est proprietas animæ, & animæ immediatè competit, quia ex natura & essentia ejus fluit, quia v. anima est in corpore meo, sensus mediante anima competit etiam corpori, cum hoc discrimine, ut sit proprietas illius, cui immediatè tribuitur, non v. alterius, cui mediatè competit. Hisce præmissis, dicendum est, quod proprium unius rei communicari possit alteri, non quidem ut alteri cui communicatur immediatè insit, aut ejus proprietas esse incipiat, sed ut alteri, cui communicatur, competat mediatè, mediante scil. illo, cui primò & immediate inest.

§. IX.

Ex his intelligitur (1.) quod ad communicationem propriam non requiratur ut, proprium, quod communicari dicitur, *deserat subjectum suum & transfundatur quasi in aliud,* sed fit hæc communicatio, ut proprium in subjecto suo maneat, (2.) illud etiam patet, *quod stante communicatione, proprium non desinat esse proprium nec ullo modo fiat commune, licet n. alteri communicetur,* semper tamen uni alicui soli primò & immediate competit, in quo consistit natura proprii, [3.] propterea etiam distingvendū inter *proprii communicationem & ejusdem prædicationem.* Non semper proprium de eo, cui communicatur, prædicari potest, e. gr. in ferro ignito ignis communicat ferro non tantum calorem, sed & *alteram proprietatem, nempe levitatem,* nec tamen levitas de ferro potest prædicari. falsum n. est, cum dico, *ferrum est leve.* Conferri hinc potest *Excellentissimus Waltherus contro. 2. Metaph. c. 17.*

§. X.

In primo itaque argumento Timpleri major limitanda est hoc modo, *si omnis proprietas à DEO & natura determinata est ad certum subjectum nempe primum, cui immediatè com-*

atè competit, sequitur, quod non possit communicari alteri, ut scil. quod illi *immediate* competat. Sic non tantum *major* conceditur, sed & *totum argumentum*. Conceditur n. quod proprium unius non communicetur alteri, ut ipsi *immediate* insit & tanquam proprietas. Relinquitur nihilominus hoc, quod proprium possit alteri communicari, ut ipsi competat *mediate* ut ostendunt exempla supra allata.

§. XI.

In secundo argumento antecedens negatur, quod scil. subjectum alicujus proprietatis communicari non possit, Oppositum supra ostensum fuit. Nam ferro communicatur ipsum etiam caloris subjectum, nempe substantia ignis & mediante igne eidem communicatur quoque proprietas.

§. XII.

In tertio argumento iterum *antecedens negatur*, quod scil. essentia rei non possit communicari. Nam. v. gr. ignis communicatur ferro, anima corpori, &c.

§. XIII.

In quarto argumento *neg. minor*, quod subjecta realiter distincta ita differant, ut unum non communicet alteri essentiam, nam. v. gr. Ignis & ferrum realiter differunt, nihilominus ignis communicat ferro suam essentiam.

§. XIV.

Ad quintum argumentum antequam respondeatur, videndum est, quomodo proprium opponatur communi. Opponuntur a. hoc modo, quod proprium soli alicui competat *immediate*, commune a. multis competit *mediate*. Jam concedi potest totum argumentum, si proprium opponitur communi sequitur, quod non sit communicabile, ut scil. multis *immediate* competat, hoc verissimum est, competit tamen multis *mediate*.

§. XV.

Ad 6tum respondetur negando *minorem*, quod scil. communicatio proprii tollat distinctionem inter proprium & acci-

& accidens. Admissa n. communicatione adhuc distingvuntur hæc duo, cum proprium insit^a uni immediatè, accidens a. pluribus.

§. XVI.

Ad septimum dicimus, quod *neganda sit consequentia*, admissa n. communicatione priorum, adhuc propria sunt causa distinctionum, quat: scil. proprium uni alicui inest *immediatè*, aliis a. non inest *immediatè*.

SOLI DEO GLORIA.

FISCHERE, quàm profeceris laboribus
Tuis, Tuaque diligentia debitâ
In literis bonis, probas jam publico.
Votum meum est, brabea debita
Nisus Tuos brevi coronent improbos.

Constantinus Ziegra/ D. PP.
h. l. Decanus.

A. Ω.

Militat Aoniis FISCHERUS Miles in arvis,
Cui decus & nomen doctus Apollo dedit.
Pergito, nec tædas belli nec claustra viarum
Cura, sic tribuet præmia Apollo Tibi!

Boni omnis ergo scrib.
Christianus Donati,
Log. ac Met. Prof. P.

Non parvo studio *Piscator* flumina tentat,
Piscibus ut nassas expleat ipse suas,
Tu quidem amas lympham, sed tantum Aganippidos unde
Exhauris animo pocula grata tuo.
Ecce tibi fructum; Porrò solare labores,
Non de erunt meritis digna brabéa tuis!

Accineb.

M. Johann. Reißer/ P.L.C.
& Lycéi Witteb. Rector,




05 A 318

ULB Halle 3
004 209 737



1017





DISPUTATIO METAPHYSICA
De
PROPRIORUM
COMMUNICATIONE,

Quam
In Alma Leucorea
PRÆSIDE

Praclarissimo nec non Doctissimo
DN. M. MICHAELE BOCCIO,
Erffurteni, Serenis. Electo-
ris Saxon. Alumno,

Præceptore ac Fautore suo plurimum colendo,
Publico Eruditorum examini proposuit

Gottlieb Fischer / Pirnensis Misni-
cus. Philosoph. & SS. Theol. Studiosus.

In Auditorio Minori

Ad Diem XI. August. Hor. Antemerid. ANNO M DC LXXVII.



WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS SIGISMUNDI Ziegenbeins.